



8
255



zu 005

O. i. 840 (1-101).

THESES
EX TIT. FF. ET
C. EX QVIBVS CAVSIS MA-
IORES 25. ANNIS IN INTEGRVM
RESTITVNTVR DESVMPТАЕ.

AD QVAS DIVINO FAVENTE NVMI
NE, PRAESIDIBVS CLARISSIMIS CONSVLTISSI-
misque viris, D. Ioanne Michaëlis Cronenburgero, &
D. Ioanne Hollandt, SS. LL. Licent. Dictatore & Fisco,
in ornatissimo apud Vbios Iuridicæ facultatis Col-
legio, pro pulcherrima & inueterata con-
fuetudine, 18. April. publicè
respondebit.

IOANNES EICK.



COLONIAE AGRIPPINAE R
EXCVDEBAT PETRVS KESCHIDT.

176



CONTINUATIO.

Um Prætor non tantum lapsis, vel circumscriptis, aut inconsulta quadam iuuenilis ætatis leuitate damnū passis; sed & maioribus 25. annis ex inuitabili quadam necessitate læsis subueniat, (a) congrua nunc ordinis ratione vltima hæc restitutionis species, prioribus absolutis, examinanda restat. (b)

(a) l. i. in fin. ff. de in int. rest. (b) ita ferè continuat gloss. in rub. ff. h. tit. VVef. in parat. cod. tit. in prin.

THESIS I.

Hoc autem edictum (quod nemo non iustissimum esse fatebitur,) (a) bipartitum est: cuius primum membrum de absentibus, ne decipiantur; alterum aduersus eos, ne capiant, edicit: (b) nè vel obsit cuiquam vel prosit quod euenit. (c) Eius singula verba prout in textu habentur, ordine defendam.

(a) l. Huius edicti i. in prin. ff. ex quib. caus. maior. (b) l. Item 21. vers. quam clausulam ff. d. tit. VVefemb. in parat. num. 3. ff. cod. (c) d. l. i. circ. prin. iunct. l. ergo 22. §. sicut & l. videlicet 29. ff. h. t.

II.

Si itaque iusto aliquis metu, nec superuacuo timore conterritus (cuius rei disquisitio Iudicis est) (a) abfuerit, & interea de bonis suis quoquo modo aliquid diminutum esse cognouerit, in ea causa est, vt eius indemnitati hac in integrum restitutione consulatur. (b)

(a) l. Metus 3. in fin. ff. ex quib. caus. maior. (b) l. Hoc edictum 2. in fin. & ibi Duaren ff. d. t. Azo in sum. C. cod.

III.

Iustum autem metum accipiendum Labeo censuit, non quemlibet timorem, (a) sed maioris mali, vt mortis, mutilationis membrorum, seu cruciatus corporis: (b) An autem sola mina sufficientes sint ad faciendum iustum timorem, quæstionis est? Et eas sufficientes esse, (c) si à persona verisimiliter timēda, vel alio homine pestilentioso illata sunt, (d) cum Bart. concludo.

(a) l. metum 5. cum tribus ll. seqq. ff. de eo quod met. caus. l. scio 4. ff. de in int. rest. l. vani timoris ff. de reg. iur. (b) d. l. metus 3. ff. h. t. l. interpositas 13. & ibi Sichard. num. 1. C. de transact. Ioan. Maur. Dolan. in tract. de in integ. rest. cap. 330. in prin. & cap. 331. (c) per d. l. interpositas & l. penult. §. pleriquè ff. de extraord. crim. (d) casus in l. Fulcinius §. quid sit ff. ex quib. caus. in poss. eat. l. i. C. si quis Imp. maledix. Bart. in d. l. metus causa 3. & ibi addit. ad gloss. ff. h. t.

IIII.

Pari modo si quis Reipublicæ causa, sine dolo malo, (a) aut propter officium legationis ad principem bona fide facta, (b) absens & indefensus condemnatus est, & interea de bonis eius

nis eius quid diminutum fuerit, actionisq; dies exierit, cum publicum officium nemini damno esse debeat, (c) hoc primo edicti capite adiunatur. (d)

(a) traditur eleganter in l. abesse 32. l. Inter eos 33. l. qui mittuntur 35. l. si cui 38. ff. h. t. & per Maur. Dolan. in suo tract. de in int. rest. cap. 351. per tot. (b) text. in l. si propter 1. C. ex quib. caus. maior. & l. sed etsi 29. §. fin. iunct. l. legatis 8. ff. eod. Ioan. Maur. d. tract. cap. 422. (c) l. sed etsi 7. ff. quemad. test. aper. d. l. videlicet & l. inter eos ff. h. t. (d) text. in l. Item hi 4. ff. ex quib. caus. maior. & in l. si quid 2. C. de rest. mil. & cor. qui Reip. caus. abs. VVescm. in parat. nu. 4. ff. h. t.

V.

Rei autem publicae causa si soli abesse intelliguntur, qui non sui commodi gratia sed coacti absunt: (a) vnde eos qui privati negotij, faciendave alteri iniuria gratia, id data opera egerint, vt Reipublicae causa abessent, (b) vel qui maturius profecti sunt, vel cum possent reuerti non redierunt, finitoq; officio absunt, (c) ab isto priuilegio arceri minime dubium est.

(a) l. Reipublicae causa 16. l. Item hi 4. & l. non verè 42. ff. h. t. (b) d. l. Item hi l. & qui data 5. ff. h. t. (c) l. hi qui in prouincia 37. l. si cui 38. §. tamdiu ff. d. tit. VVescm. in parat. cod. num. 4. Maur. Dolan. d. de in int. rest. tract. cap. 351. nu. 8.

VI.

Quamuis autem ex verbis edicti, nomine Reipublicae sola Romana intelligenda veniat, (a) Eis tamen qui ob aliam Reipublicam munera publica, aut legationem subeunt, quandoquidem ex necessitate non voluntate absunt, hoc beneficium competere aequissimum iudico. (b)

(a) l. cum qui 16. ff. de verb. sig. l. sed & si 29. §. fin. in verb. non abest ff. & l. Respublica 4. & ibi Sichard. num. 3. C. h. t. (b) per text. in l. Huius edicti 1. & in d. l. sed & si §. fin. ff. h. tit. DD. in l. i. & tot. tit. C. de iur. fisci, & iur. Reip. Schneid. in §. rursus num. 51. & seq. Inst. de action.

VII.

Eodem planè restitutionis priuilegio iura dignantur eos, qui cum essent in militia occupati interim res eorum vsucaptas, (a) aut à creditoribus venditas, (b) vel alio modo diminutas esse inueniunt. (c)

(a) l. Quod tempore 3. C. de rest. mil. (b) l. ignorare 4. l. neque 5. cum l. seq. C. d. tit. (c) l. milites 7. l. milites omnes 45. ff. h. t. Azo in summa C. de rest. mil. Maur. Dolan. tract. de in int. rest. cap. 336. nu. 4.

VIII.

An autem militibus nostri temporis hac restitutionis via succurri possit, questionis est. Et posse verius est: (a) quod ad eos solum qui actu militant, non qui militare desierunt, aut in suis sedibus degunt, pertinere puto. (b)

(a) Cyn. in l. i. num. 10. C. de iur. & fact. ignor. Oldendorp. de iur. sing. tit. de priuil. milit. per l. milites omnes 45. ff. h. t. ibi, qui à signis discedere. (b) text. in l. fin. C. de rest. mil. l. qui mittuntur 35. §. fin. l. si cui 38. §. tamdiu ff. h. t. l. fin. C. quib. non obicit. long. temp. praescript. Maur. Dolan. d. tract. de in integ. rest. cap. 334. nu. 1. & 2. & cap. seq.

In tan-

IX.

In tantum autem militum & eorum qui Reipublica causa absunt, priuilegia extenduntur, vt & eorum vxoribus, si secuta viros, interim per absentiam aliquid damni fecerint, lex succurrendum duxerit: (a) Porro militum medici (quoniam officium quod gerunt, & publice prodest, & fraudem eis adferre non debet) restitutionis auxilium implorare possunt. (b)

(a) text. in l. 1. & 2. C. de vxor. milit. & eor. qui Reip. caus. Bald. & Cyn. ibid. Maur. Dolan. tract. de in integ. rest. cap. 336. (b) l. inter eos 33. §. militum medici ff. h. t. Maur. d. tract. cap. 333. nu. 6. & cap. 338. nu. 1.

X.

Sed & ij qui vinculis oppressi detinentur, si quid interea de bonis amittant, cum nulla ijs desidia vel negligentia culpa imputari possit, merito in integrum restituuntur. (a)

(a) l. Idcirco 2. & ibi Sichard. nu. 1. C. ex quib. caus. maior. l. 1. succurritur 9. ff. h. t. Azo in sum. C. cod. VVesemb. in parat. nu. 4. ff. d. tit.

XI.

Cuius farinae sunt non tantum publicis, aut latronum, militum vinculis oppressi; verum etiam latunij, aut alijs parietibus, custodiave coerciti, itave alligati, vt vel nullo modo, vel sine dedecore in publico apparere non possint. (a)

(a) d. l. succurritur l. in eadē causa 10. ff. h. t. DD. in l. Is qui Reus ff. de public. Iud. Mynf. in §. rursus nu. 26. & seq. Inst. de actio.

XII.

Addo amplius: homines liberos, qui vel bona fide libenter, vel detenti ingratis seruiunt, (a) Item ab hostibus captos, (b) ex primo huius edicti capite recte restitui: Transfugis vero quibus negatum est postliminium, & ijs qui de statu litigant, (c) nullum credendum est beneficium concedi.

(a) l. Ei quoque 11. ff. h. t. VVesemb. in parat. nu. 4. cod. tit. (b) l. item ei 14. & l. seq. §. non minus ff. l. si ab hostibus 5. C. h. t. Azo in sum. circ. prin. C. cod. (c) d. l. Item 14. l. is autem 12. ff. d. tit. VVesemb. loc. citat.

XIII.

Generaliter ergo predictas personas omnes, si ex hisce causis abfuerint, ad omnia comoda quae presentes affecuti fuissent, restituendos esse, regula loco tenendum est: (a) quod in hisce casibus limitamus, in quibus duntaxat rei amissa persequenda gratia queruntur, non cum lucri faciendi cupiditate ex alterius poena vel damno, auxilium sibi impertiri, desiderant: (b) sicut etiam non audiuntur, qui quantumuis domi sua mansissent, damnum tamen passuri erant. (c)

(a) l. Iulianus 17. §. fin. & ibi Bart. l. & siue 27. l. si quis Titio 41. ff. h. t. (b) l. sciendum 18. ff. d. tit. Cost. in l. ait Praetor §. hodie ff. de minor. (c) l. Is qui Reipublicae 44. ff. h. t. casus in l. ergo 30. §. alluio ff. de acquir. rer. dom. Bart. in l. ab hostibus §. sed quod simpliciter nu. 7. in fin. Maur. Dol. in tract. de rest. in integ. cap. 358. & seq.

Porro

XIV.

Porro reuersis intra quadriennium continuum, iure nouo, hanc in integrum restitutionis petitionem, necessitas & proponendi & finiendi fatalis incumbit: (a) vti annus quoque utilis ad rescissoriam intentandam conceditur, ex quo die restitutio fuit impetrata, computandus, (b) quam interposita litis contestatione rectè nonnullis placuit perpetuari. (c)

(a) text. in l. superuacuum vlt. C. de temp. in integ. rest. Fab. in §. rursus num. 14. & ibi Zas. Inst. de action. eleganter hoc distinguit Bart. in d. l. fin. nu. 8. quem sequuntur ibi DD. communiter Schneid. in d. §. rursus nu. 70. (b) gloss. in d. l. fin. in verb. non absimilis in fi. vbi Bart. per l. Præcipimus, 32. in fin. C. de appellat. & l. sancimus 27. C. de testa. (c) gloss. in d. l. final. in verb. finiendamque. Fab. in d. §. rursus nu. 17. & ibi Schneid. nu. 77.

XV.

Sanè si intra modicum temporis quam quis redijt, bona fidei possessoris detentio ante absentiam inchoata, finita autem eo reuerso sit, restitutionis auxilium, arbitrio pratoris summo iure locum habebit: (a) Non enim negligentibus succurritur, sed necessitate rerum impeditis. (b)

(a) text. in l. ab hostibus 15. §. sed quod simpliciter ff. h. t. (b) text. in l. non enim 16. ff. d. tit.

XVI.

Eum autem qui differt restitutionem, non esse audiendum, Neratius scribit: Vnde gravis hæc & insignis se offert questio, de qua tum veteres iuris interpretes, tum ipsi etiam DD. mirificè inter se, & multum contendunt: An planè is ab hoc priuilegio arceatur, an vero ad tempus absentia saltem, non compensata negligentia, restituendus veniat? Hæc æquior & communior, (a) illa in punctu iuris verior esse videtur opinio: (b) Ego vtramque exercitij gratia defendere conabor.

(a) l. quod tempore 3. C. de rest. mil. & ear. qui Rei caus. abs. ibi amota præscriptione medijs temporis. Innoc. in cap. dilecto filio ext. de verb. sig. Gloss. in d. l. quod tempore. & l. ab hostibus §. vlt. ff. h. t. & ibi DD. communè dicit Ias. in §. rursus Inst. de actio. (b) text. express. in l. ab hostibus §. sed quod simpliciter cum l. seq. ff. h. t. Cast. in l. quod tempore C. de rest. mil. Azo in sum. C. h. t. Zasius in d. §. rursus & ibi Fab. nu. 5. & seqq. Inst. de act.

XVII.

Et hætenus quidem ne absentes capiantur: Nunc etiam (cum sicut damno eos affici Prætor non velit, ita nec lucrum facere patiatur) (a) aduersus ipsos ne capiant, est videndum.

(a) l. Item ait Prætor 21. l. ergo sciendum 22. l. videlicet 29. VVesemb. in parat. num. 1. & 6. ff. h. t.

XVIII.

Hoc vel per se per subiectas personas fieri potest, (a) Ideoque qui conuenti frustrantur, aut qualibet tergiuersatione, solertia, ac probabili etiam modo efficiunt, nè cum ipsis agi possit, (b) & interea vsu quid suum fecerint, aut quod non vtendo amissum fuit, consecuti, actione ve qua ob id quod dies eius exierat, soluti sint, contra hos edictum hoc valet. (c)

(a) d. l.

(a) d. l. Item ait 21. §. hæc autem l. ait Prætor 23. §. hi planè ff. h. t. (b) l. sed & ad eos 25. & l. seq. ff. h. t. Maur. Dol. in suo de rest. tract. cap. 353. (c) l. Huius edicti 1. & l. Item ait Prætor 21. ff. d. tit.

XIX.

Sed & aduersus vinculis oppressos, secumve agendi potestatem non facientes, (a) aut quos morè maiorum inuitos in ius vocare non licet, si non defenduntur, hoc edictum paratum esse certi iuris est: (b) quinimò si actio per Iudicis dilationem, sine dolo ipsius exempta sit, vel magistratus copia haberi non possit, (c) restitutionis auxilium imploranti, concedendum esse concludo.

(a) l. Huius edicti 1. l. ait Prætor 23. ff. h. t. (b) text. in l. sed etsi 26. §. hæc clausula ff. cod. l. In ius vocari 2. & ibi Costal. ff. de in ius voc. (c) text. in d. l. sed etsi §. ait Prætor 4. ff. h. tit. VVef. in parat. cod. tit. nu. 7. Maur. Dolan. tract. de rest. cap. 354.

XX.

Sciendum autem est, non aliter hoc edictum locum, habere quam si absentes procuratores, (a) vel coniunctas personas non rel. querint, ue libenter defenderent, vel amici absentium interrogati fuerint, an defendant, vel deniq; nemo sit qui interrogari possit: (b) Nam cum habuerit Præsens quos conuenire potuerat, non debet amplius inquietari is qui abfuit. (c)

(a) l. Item ait §. hæc autem l. is qui 39. ff. h. t. VVef. in parat. cod. tit. nu. 7. (b) l. ergo 22. ff. d. tit. VVef. d. loc. (c) d. l. Item ait §. hæc autem ff. cod.

XXI.

Sed quia multi adhuc casus interuenire possint, nec sigillatim omnes enumerari queant, propter quos equū sit restitutionis auxiliū deferri, (a) tandem prætor generalem suo edicto adiecit clausulam, qua toties, quoties equitas suggerit, se restitutum pollicetur. (b)

(a) tot. tit. ff. de rest. in integ. (b) l. 1. in fin. & l. sed etsi 26. §. Item inquit 7. ff. h. t. VVef. in parat. ff. cod. num. 10.

XXII.

Quid enim si alia probabilis absentia causa probetur? qualis est studiorum ex qua causa absentibus, hac restitutionis via succurri, iuris est indubitati. (a)

(a) l. nec non 28. & ibi gloss. ff. h. t. VVef. emb. in parat. cod. tit. num. 10. per auth. Habita C. ne fil. pro pat. Bart. in l. fin. ff. de rest. in integ. Maur. in sæped. suo tract. cap. 340.

XXIII.

Huc quoque illa pertinet quæstio, an dominus dimisso procuratore, aduersus eius negligentiam in integrum restituatur? Et si procurator negligens non sit soluendo, ita quod dominus damna & interesse ab eo actionis via consequi non possit, (a) eum restituendum esse defendam.

(a) per l. itaque fullo 12. ff. de furt. l. si procuratorem 8. §. sed & si ff. mand. l. Et eleganter 7. §. si

7. §. si dolo malo. ff. de dol. mal. gloss. in c. 2. in verb. negligentia & verb. restituimus de in
integ. restit. Panorm. in c. 1. nu. 16. ut lit. non contest. Bald. in auth. hodie nu. 3. C. ne fil. pro
pat. Gaill lib. 1. pract. obser. obs. 45. nu. 6.

XXIV.

*Cui illa additur questio: an is qui ob summam inopiam & extremam paupertatem ap-
pellationem non est prosecutus, restitutionis privilegio gaudeat? Et gaudere eum hoc pri-
vilegio equissimum iudico. (a)*

(a) auth. de his qui ingred. ad appell. §. 1. si procuratorem 8. §. si ignorates 6. & ibi Co-
stal ff. mand. fac. C. ex ratione ext. de appell. Bart. in l. inuitus 17. C. de procur. Gaill pract.
obser. lib. 1. obs. 142. Maur. Dolan. d. tract. de rest. cap. 362.

XXV.

*Similiter alia frequens enucleanda venit questio: vtrum maior aduersus consensum
quem in ebrietate praestitit, restitui debeat? Et eum quoque restituendum esse rectius iu-
dicauerim. (a)*

(a) Maur. Dolan. d. de restitut. tract. cap. 344. per tot.

COROLLARIUM.

*Corollarij locum subeat non minus in foro frequentissime agitata,
quam in scholis acerrime disputata questio: An contra praescriptionem
longissimi temporis, ex probabili & iusta ignorantiae causa, beneficium
restitutionis concedi possit? Et posse cum communi (a) tuebor.*

(a) Panorm. in c. vigilanti ext. de praescript. Hostiens. in c. contingit. ext. de transact. &
in sum. de rest. in integ. §. vtrum praescriptiones gloss. in l. si partem §. 1. in verb. non vten-
do ff. quemad. ser. amitt. Bart. in l. Aemilius ff. de minor. in l. cu. filius §. In hac ff. de verb.
oblig. & in l. 1. §. si quis propter ff. de itin. actuq; priu. Alex. conf. 169. vol. 2. Bald. in l. falsam
C. de fid. Inst. DD. in l. 1. & 2. ff. de iur. emphyt. Maur. Dolan. tract. de in integ. rest. cap. 57-
& seq.

153255

AB: 153255

(X2203998)


K



De legibus et constitutionibus Imperatorum





THESES
EX TIT. FF. ET
EX QVIBVS CAVSIS MA-
IORES 25. ANNIS IN INTEGRVM
RESTITVVNTVR DESVMPTAE.
D QVAS DIVINO FAVENTE NVMI
E, PRAESIDIBVS CLARISSIMIS CONSVLTISSI-
isque viris, D. Ioanne Michaëlis Cronenburgero, &
.Ioanne Hollandt, SS. LL. Licent. Dictatore & Fisco,
in ornatissimo apud Vbios Iuridicæ facultatis Col-
legio, pro pulcherrima & inueterata con-
suetudine, 18. April. publicè
respondebit.
IOANNES EICK.

COLONIAE AGRIPPINAE R
EXCVDEBAT PETRVS KESCHIDT.

176

